

XXXVI.

Anno 1207.

Andreas II. Hungariae Rex Spalatinorum atque totius Regni Croatiae jura confirmat.

In nomine Sancte Trinitatis, & Individue Unitatis. Andreas Dei gratia Vngarie, Dalmatie, Croatiae, Rame & Servie, Gallitie, Laudomerieque Rex in perpetuum. Regie sublimitatis interest, & equitas suadet naturalis, ut qui sua statuta a suis successoribus desiderat observari, ipse quoque suorum Predecessorum sanctiones pari stabilitate studeat conservari, ut nulla vetustate dissolvantur, que succedentium sibi Regum auctoritas stabilitate perpetua decreverit roborare, Inde est, quod Privilegia a Predecessoribus Nostris gloriose memorie Regibus, videlicet Avo, & Patre nostro Civitati Spalatensi pro libertate concessa renovantes, verbo ad verbum presertim scripto nostro tantum apposito nomine, et numero annorum Domini secundum tempora, nostra immutato, hoc modo duximus inserenda. Anno Dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo septimo. Ego Andreas Dei gratia Vngarie Rex. Juro super sanctam Crucem, Vobis Spaleti Principibus, firmam pacem & libertatem, mihi quoque, aut filio meo, aut successoribus nostris Tributarij ne sitis, Episcopum vero, aut Comitem, quem clerus & populus elegerit, confirmabo, & lege antiquitus constituta, cum nostro Judice Vos uti permittam, preterquam Introitus portus Civitatis de extraneis duas partes Rex habeat, tertiam vero Comes civitatis. In civitate quoque vestra neminem Vngarorum, vel alienigenarum habitare permittam; nisi quem voluntas vestra expetierit. Cum autem ad vos coronaudus, aut vobiscum Regni negotia tractaturus venero, nemini Civium vis inferatur Domorum suarum, nisi quem dilectio vestra susceperit. Judicem inter vos & extraneos a me constitutum vobiscum in Civitate sedulo commorari; nec eum extra urbem alias proficiscentem sui precepto, aut sigillo a nobis causa placitandi sequendum concedo. Si quis vestrorum per meum Regnum, Terra, Marique negotia exercuerit, mihi aut alicui nostrorum hominum ex proprio comertio nullum persolvat debitum. Obsoles a vobis nullo modo recipiam, sed in Curia nostra servire volentibus, regam, et impendam & morandi, sive discendendi ad suum velle, facultatem obtineant, nullamque eis super hoc molestiam inferam; at si forte Dominium meum aliquem aggravare videbitur & urbem nostram exire voluerit, secure cum uxore, & filiis, et familia & omnibus bonis suis quocumque sibi placuerit eat. Hec autem omnia absque fraude, & ingenio ad detrimentum Civium & Civitatis in aliquo attinente observabo. Vt autem tam nostrorum predecessorum, quam nostra concessio perpetue robur obtineat firmitatis presenti, eam pagina in notitiam deduci posterorum, & Regie auctoritatis sigillo iussimus roborari. Datum per manus Roberti Albensis Prepositi & Aule Regie Cancelarij, Joanne Strigoniense Ar-